



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 60. Initium disputationi datum ab examine Mysterii SS. Trinitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

bat: unde hæc disputatio præfixa die
fuit celebrata.

Sæcul. XVI,
A.C. 1565.

Itaque Pinczoviensium nomine disputabant Gregorius Pauli, & Stanislaus Luboromiski, qui Ecclesiarum in Polonia minori Pastor, seu ut vocant, *superintendens*, Regique a secretis erat. Aderant quoque ibi ejusdem frater, Nicolaus Sieniciuski, Joannes Niemoiovius, Cazanoviuski, Paraclisus, præter nonnullos alios: porro existimatorum Reformatorum partes sustinebant Sarnicius, Silvius, Lusius, pluresque magni inter eos nominis Theologi: præprimis autem utrinque fancitum, quod præ ceteris primi perorarent Pinczovienses, hosque prætensi Reformatores exciperent, atque pro illis Cassanovius, & pro istis Plusius nominabantur, qui hujus disputationis acta conscriberent: insuper ex utraque parte seligebantur Commissarii, qui huic conciliabulo juxta ordinis sui seriem præessent. Horum primus erat Joannes Firlayus Cracoviensis Palatinus, & supremus Coronæ Marecallus Calvinistis oppido addictus.

§. LX.

*Initium disputationi datum ab examine
Mysterii SS. Trinitatis.*

Joan-

Sæcul. XVI.
A.C. 1565.

Joannes Firlayus brevem orationem habuit, ad cuius finem utramque litigantium partem ad solidam in Ecclesiis pacem feliciter procurandam hortatus hæc subjecit: *incipiamus ergo in nomine Domini, & Sanctissimæ Trinitatis:* verum ad hæc verba quidam adversæ partis Theologus, quem Gregorium Pauli fuisse dicunt, in hunc Præsidem insurgens, eumque torvo vultu aspiciens reposuit: *nos Trinitatem non agnoscimus, ac propterea non respondemus: Amen.* Præses nihil commotus respondit: inchoate igitur vestram disputationem ab hoc mysterio, ideo Gregorius Pauli unacum Gentili, aliisque omnia coacervabat sophismata, quibus olim veteres Ebionitæ, discipuli Pauli Samosateni, atque Arriani Personarum Trinitatem, Filii consubstantialitatem, ejusque æternitatem, ceteraque divina attributa impugnare nitebantur: attamen Sarnicius, Sylvius, aliique spurix Reformationis Ministri, priusquam in arenam descendebant, unum articulum, a quo suæ causæ successum tuto dependere existimabant, mutuo utrinque consensu stabiliri conabantur: porro hic articulus erat sequens: an Pinczovienses auctoritatem ex veterum Patrum traditionibus, primisque Conciliis haustam tanquam argumentum ad-

mit-

mittere velint? Ad hoc illi sic dictis Re-
 formatoribus ita responderunt: „nos
 „quoque, cum Lutherus, Zwinglius, &
 „Calvinus traditiones, Concilia, Pa-
 „tres, & Ecclesias omnino rejecerint,
 „atque unice sacræ Scripturæ absque
 „glossa, & interpretatione tanquam soli
 „dogmatum fidei judici innixi fuerint,
 „eos imitari volumus, eo potissimum
 „nomine, quod vos Lutherani, aut
 „Calvinistæ, vel Sacramentarii sitis,
 „ideoque ab hac vestrorum Magistro-
 „rum regula discedere non possitis, nec
 „traditiones pro argumentis adducere
 „valeatis, quin Catholicis in plurimis
 „articulis vobiscum controversis victas
 „manus dare cogamini, cum vos ipsi
 „met fateamini, quod Catholici sua
 „dogmata ex traditionibus, Conciliis,
 „& Patribus adeo luculenter compro-
 „bata reddant, ut illis solide respon-
 „deri nequeat: Jam vero, prosequen-
 „tur Anti-trinitarii, sacræ Paginæ in
 „suo sensu legitimo sumptæ, ac prout
 „primo intuitu intellectui objiciuntur,
 „nullatenus asserunt, quod tres Per-
 „sonæ in Deo dentur, aut Filius Patri
 „sit consubstantialis: ergo nec vos Tri-
 „nitatem, aut consubstantialitatem ad-
 „mittere debetis: si autem scriptum
 „Dei verbum per Concilia explicare ju-
 „bemur, tunc pari, aut forte majori
 „jure

Sæcul. XVI.
 A.C. 1565.

Sæcul. XVI.
A. C. 1565. „jure insistere possumus explicationi a
„Sirmiensi, & Ariminensi Conciliis circa
„hanc rem datæ, quam vos inniti po-
„testis decisioni Nicænæ Synodi, pri-
„ma enim hæc Concilia erant libera,
„illud vero Nicænum sua caruit liber-
„tate, eoquod præsens adesset Constan-
„tinus, qui omnes Synodi Patres in
„obsequio continebat, eosque ad fata-
„lem suo arbitrio obsecundandi necessi-
„tatem redigebat. „ Verum hæc men-
„tiebantur Sociniani absque omni veri-
tatis specie.

§. LXI.

*Falsa verborum sancti Joannis ex-
plicatio.*

Narrat. l. c.
pag. 212. Ceterum spurii Reformatores sua lar-
gumenta ad folius sacrae Scripturae
limites, exclusa omni glossa, restringere
cogebantur, ac præprimis disputationi
initium dabant ab illis sancti Joannis
verbis: *In principio erat Verbum* Joan. I.
v. 1. Verum Pinczovieneses, cum per
explicationem a Lelio Socino antea eis
propinatam circa hunc textum essent
exercitati, prompte illum in sensu fi-
gurato explicabant, idque aliis con-
firmabant textibus, quos ipsimet adul-
terini Reformatores nonnisi in sensu
figurato admittebant, quales erant se-
quentes: *Hoc est Corpus meum: ego sum*
vitis,